

25

DISSERTATIO CHEMICA
DE
SULPHATE CALCIS.

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE GADOLIN,

*Chem. Prof. Reg. & Ord. Regg. Acad. & Societt. Scient.
Holmensis, Dublinensis, Upsaliensis & Gottingensis, nec
non Societ. antebac Med. Chir. & Pharmac. Bruxel-
lensis, Acad. Imper. Nat. Curios. & Reg. Societ.
Oecon. Fenn. Sodali.*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publico examini subjicit

*DANIEL FRIDERICUS ROSCHIER,
Wiburgensis.*

In Auditorio Majori d. XXIX Maji MDCCCV.
Hois p. m. consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

ADMODUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO

DOMINO

ERICO JOHANNI ROSCHIER,

ECCLESIE QUÆ DEO IN SAARIJÅRVI COLLIGITUR,

PASTORI ATQUE PRÆPOSITO MERITISSIMO

PATRI CARISSIMO

*Dissertationem hanc, pro multis magnisque beneficiis,
non in remunerationem, sed in pignus animi gratissimi,
dat dedicat,*

PATRIS CARISSIMI

Filius obedientissimus
DAN. FRED. ROSCHIER.

DISSERTATIO CHEMICA

DE

SULPHATE CALCIS.

§. I.

Io numerum salium referunt hodierni Chemici corpora ex acidis atque terris composita, sive ex sapore & solubilitate per aquam, praecipuis olim characteribus salium, agnoscit possint, sive non. Sic substantia, quam acidum sulphuricum cum terra calcis constituit, lapidibus antehac adnumerata & nomine *gypsi*, *lapidis gypsei*, vel *alabastrī* a) vulgo cognita, cuius varietates crystallinas vel micantes *seleniten* b), *spumans* *lunæ*, *glaciem Marie*, *lapidem specularem*, e. l. p. appellaverunt,

A

runt,

-
- a) Per *Alabastren* antiqui intellexerunt lapidem subpellucidum ad opera sculptilia & vase formanda optum. Talia opera e vetustitate nobis relictæ, plerumque ex gypso, vel marmore vel lepide ex utroque mixto consistere deprehensa sunt. Indeque dubii fuerunt recentiores chemici, utrum alabastrī vocabulum rectius sulphati an carbonati calcis tribuendum sit.
 - b) Voce *selenitis*, ασεληνη (luna) deductā, Chemici significaverunt corpora quæcunque alba, in squamas parvas micantes crystallisata, & difficulter per aquam solubilia; speciatim vero ea, quæ gypsi naturam habuerunt. Quid hoc vocabulo veteres significaverint, non facile erit interpretatu. PLINIUS in H. N. L. XXXVII. C. X. hanc descriptionem dedit: *Selenites ex candido translucet, melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis, minuentisque numero: nascique putatur in Arabia.*

sunt, secundum nomenclaturas salium recentioribus acceptas, jam nominibus *calcis vitriolatae*, *vitrioli calcis*, *vitriolic calcareati*, *calcis sulphateae*, v. *sulphuratae*, & denique *sulphatis calcis* v. *calcarei* vocata est.

Implere haec solet venas montium, cavernasque ab aliis fossilibus vacuas, neque raro in stratis per integros montes extensis comparat: & interdum in acervos ingentes cumulata esse reperitur, ex partibus hic regulariter concretis, illic in massam informem compactis, aut ex pulvere parum cohærente aggerata. In argillis & margis sparsæ inveniuntur ejus crystalli. Haec pelluciditate nonnumquam similes sunt crystallis siliceis montanis, interdum plus minus opacæ: duritie & pondere specifico semper spatho calcareo cedunt. Figuram plerumque habent decaëdram, natam ex octaëdro rhomboidalí, cuius utraque pyramis, prope basin communem truncata, piano rhomboidalí basi parallelo & simili terminata esse videtur. ^{c)}

Nonnunquam fibratum, sive ex tenuibus filis, secundum longitudinem arctius juxta se invicem positis, concretum invenitur gypsum, quod *fibrosum*, *friatum*, vel *stirium* nominaaverunt.

Quæ vero latioribus planis terminatæ sunt crystalli, plerumque in laminas tenuissimas, flexibiles pellucidasque dividi possunt & nomine *vitri Moscovitici* v. *Ruthenicæ* venerunt.

In aquis frequenter solutus reperitur sulphas calcis, sed parva ubique quantitate, sufficiente tamen, quæ tali sapore cognoscatur, quallem aquæ f. d. duræ attribuunt.

c) ROMÉ DE L' ISLE Crystallographie T. I.

§. 2.

Uſus gypſi ad ſtructuras clementitias, rem albariam, trullationes, ſigilla & coronas ædificiorum variaque ſtatuariorum opera, diu cognitus fuit, antequam vera ejus natura innotueret. Calei cognatum judicavit PLINIUS, quod coctum cum aqua celeriter coeat & ſiccetur d). Recentioribus etiam temporibus valuit apud Chemicos ſententia, calcaream eſſe gypſi naturam, uſque dum dubium moveret obſervatio, quod gypſum uſtum cum aqua ſola in ſaxeam duritiem concreſcat, cum e contrario calx non niſi per admixtam arenam indureſcere poſlit e). Ideo potius terram ſui generis, a calce diuerſam, eſſe gypſum judicavit ROTT f), cui neque probabile fuit iplum a terra calcarea & acido ſulphurico produci, quoniam ſubſtantia ex hoc connubio nata a gypſo naturali diſſerre videbatur g). Frustra quoque inclytus noſtras G. ERANDT ex hiſce partibus gypſum componere conatus eſt h). Et quamvis memorante SPIELMANN i) dudum aſſeruerit ALLEN, ſalem ex acido ſulphurico & calce ortum, quem *felsenitex* vocavit, in fontibus medicatis Anglicis reperiri, variaſque hujus talis proprieſtes deinde indagaret & deſcriberet

A 2

BOUL-

d) Lib. XXXVI. Cap. XXIV.

e) JUNCKER Conf. Chemicæ T. II. p. 452.

f) Lithogeognosie p. 15, 16.

g) Fortſetzung der Lithogeogn. p. 57. ſeqq.

h) Kongl. Svenska Vet. Acad. Handl. 1749. p. 149. ſqq.

i) Instit. Chem. p. 159.

EOULDUC *k*); quamvis FR. HOFFMANN *l*), & C. NEUMANN *m*) agnoscerent terram calcaream per acidum sulphuricum insipidam fieri, & in selenitea converti, sive concretum terrenum floribus benzoës simile, diu tamen incertum fuit, utrum selenites hæc cum naturali gypso conveniret. Docuit HENCKEL gypsum e terra calcarea originem suam ducere *n*). SAGE vero, cuius doctrinam exposuit DEMESTE, contendit gypsum lapidem ab acido sulphurico & terra absorbente pura, quæ in osib[us] lateat, a calce autem differat, constitui *o*). Et JUNCKER salem amarum ex calce viva & acido sulphurico obtinuit *p*). Autumavit quidem BAUMÉ latere in gypsum calcaream terram, de hac vero singularem fovit opinionem, quod per aëris vicissitudines in argillam convertatur, perhibens se ex terra calcarea gypsum per acidum sulphuricum produxisse crystallos aluminis cum gypsis mixtas *q*). MACQUERO jam A:o 1747 certum fuit, gypsum ex acido sulphurico & terra calcarea fornari, simul vero dubium, utrum omnis calx hoc respectu sibi similis eset, anne ex diversis calcis speciebus per acidum sulphuricum varia producerentur gypsum genera, quæ inter se natura differre videbantur *r*). Manifestum tandem

k) Mem. de l' Acad. de Paris. 1726. 1729. 1735.

l) Observ. Phys. Ch. selectæ. L. II. obs. II. p. 107, **III.**

m) Prælect. Ch. p. 1542 & 1848.

n) Bethesda portuosa.

o) Lettres de D. DEMESTE T. I. p. 64, 216, 342, 497. T. II. p. 561.

p) Conspl. Chem. T. II. p. 455.

q) Erl. Exper. Chemie V. I. p. 369 seqq. p. 383 seqq.

r) Mem. de l' Acad. de Paris 1747.

dem ex MARGGRAFII experimentis fuit, qvod omne gypsum naturale æque ac selenites artificio parata ex acido sulphurico & terra calcarea constituatur, propterea que non ad lapides, sed ad sales medios terreos numeranda sint ^{s).} Luculenter enim ostendit, acidum sulphuricum aut immutatum, aut in acidum sulphurosum vel sulphur conversum ex omni gypso separari posse, quo facto, residuum a calce pura non differre ^{t).}

§. 3.

Naturale gypsum ut plurimum sibi immixtum habet carbonatem calcis, qui inquilinus facile subtrahitur per additum aut acidum sulphuricum, quo gypsi copia augetur, aut aliud quodcumque acidum, quod expellere valeat carbonicum, & cum calce salēm constituat, a parva aquæ quantitate solvendum, atque sic ab intacto gypsi pulvere separandum. Sed e societate quoque corporum insolubilium extrahi potest sulphas calcis, cum a multa aqua se solvi patiatur, qua evaporata, sub forma crystallorum seleniticarum purus habetur.

Artificiose vario modo producitur, & simplicissima quidem via ex acido sulphurico cum calce mixto. Si calci puræ affunditur acidum hoc aqua privatum, vehemens oritur calor, quo, secundum observationem WESTRUMBI, ignitum apparet mixtum, & vapores fere igneos acidi sulphurosi eructat ^{u).} Aqua vero non nimis dilutum acidum placidius

A 3

fuf.

^{s)} Chymische Schriften I. Th. p. 201.

^{t)} I. c. II. Th. p. 139.

^{u)} CRELL Ch. Annalen 1784. II. B, p. 329.

fuscipit calx, quæ per illud subtilius divisa solidam adhuc servat formam, & in massam pumicosam, sœpius ex immixtis crystallulis micantem abire solet. In hac evanuisse observantur sapor alcalinus, ceterique terrae calcareæ characteres, modo ad saturationem sufficiens admixta fuerit acidi quantitas. Si aquæ calce soluta satiatæ instilletur acidum sulphuricum concentratum, prodibunt in liquore, ceteroquin pellucido, crystalli sulphatis calcis, qui, quamvis calce solubilior sit, cum quantitate eam superet, non potest omnis in solutione aquosa suspensus hæcere.

Ex carbonate plurimisque aliis salibus calcem foventibus, hinc sibi arripere valet acidum sulphuricum; ex iisdem plerumque vi duplicis attractionis sulphatem calcis proligunt sulphates alcalini. Idem efficit calx sulphatibus ammoniacæ terrarumque in aqua solubilibus addita. In omnibus hisce casibus, nisi admodum abundet aqua, comparet maxima sulphatis formati pars ad speciem pulveris crystallini f. squamularum; sub forma quoque spiculorum vel prismatum gracillimorum, maxime ubi dominatur acidum, in conspectum venire solet.

§. 4.

In temperatura aëris vulgari vix mutantur crystalli gypsum. Per caloris vero æstum, crystallisationis aquam, quæ quintam circiter ponderis earum partem efficit, perdunt, & subito admoto igne, cum strepitu in laminas tenuissimas, disfiliunt. Præterea album, opacum & valde friabile calcinacione evadit omne gypsum. Sed recuperat facile & cohærentiam

&

& pristinum pondus, si post refrigerationem ipsi addatur aqua, quae sensibilem producit calorem, dum in densitatem cum illo coit.

Ex hac proprietate praecipuus gypsum usus dependet. Contusum lapidem gypseum calori imponunt, cavendo tamen ne ullibi candeat, cum per nimium aestum inutilis profrus sit. Ascendere tum observantur vapores copiosi, qui, si ante ustionem in pulverem redactum fuerit gypsum, inter minutissimas ejus particulas motum efficiunt ebullitioni similem, quapropter *ebullire* dicunt gypsum operarii, materiamque ustam *gypsum coctum* appellant. Hoc aqua tepida in puluis mollitiem subiectum, brevi in duritatem lapideam concrevit, & sub induratione adeo expanditur, ut figuræ quascunque sibi impressæ accurate exhibeat.

Quod si vero justo diutius continuetur, augeaturque ignis ad gypsum applicatus, laudatam jam facultatem perdit, cum nimia aquæ quantitate & forsan acidi sui parte v) (poterit) lietur

v) In contrarias partes disputatum est de mutatione sulphatis calcarei per validiorem ignem effecta, utrum pars acidi ejus, per calorium solum fugari poscit nec ne. Inter argumenta pro illa sententia adducere solent observationem, quod sub diutina ustione gypsum in vase aperto odor acidi sulphurosi, immo hydrogenii sulphatis sentiatur. Hoc vero haud dubie indicat, per corpora quædam inflammabilia destructam fuisse aliquam acidi sulphurici partem. Itaque ad fidem pronum est, in hisce experimentis aut gypsum adhibitum non fuisse satis purum, aut vapores inflammabiles ex carbonibus ignitis ipsi vel per ostium vasis vel per poros laterum ejus accessisse.

litterur, quæ jactura sese per phosphorescentiæ phænomenon manifestat. Ad summum denique gradum evecto igne, in vitrum initio pellucidum, & post refrigerationem opacum abire solet *x*). Cum argilla vulgari mixtum longe facilius funditur atque tumescit. Propterea in crucibulis argillaceis promte peragitur liquefactio gypsi, quemadmodum jamdudum observaverunt POTT *y*) & GERHARD *z*). Inter alia corpora quæ ad liquefaciendum gypsum conducunt, notatu maxime dignus est fluas calcis, quocum adeo facile vitream acquirit naturam, ut pro vasis sigulinis & metallicis superficie vitrea obducendis, commixta hæc corpora salina adhibere proponeret RINMAN *a*).

§. 5.

Ab aqua adeo difficulter solvitur sulphas calcis, ut una hujus pars 550 circiter aquæ partes in temperatura caloris media poscat. Aquæ vero ebullientis 450 partes solutioni sufficient. Hinc patet quintam tere partem sulphatis a calida

x) Sulphas calcis purus vix liquefcit, nisi in vehementissimo ignis gradu, qui in focis speculorum cauflicorum vel tubi ferruminatori offendit solet. Longe facilius succedit liquefactio gypsi cum carbonate calcis mixti. Talem vero mixturam præ ceteris gypsi varietatibus adhiberi solent operarii, cum observaverint purum sulphatum calcis, post debitam calcinationem, cum aqua tractatum nimis fragilem exhibere maslam.

y) Lithogeognosie.

z) Beyträge zur Geschichte des Mineral-Reichs II Tom. p. 16.

a) Kongl. Sr. Vet. Acad. Handl. 1779, p. 196. sqq.

da aqua soluti, sub refrigeratione secerni posse, eamque ex ingente mole lentissime recedentem formam induere regularem crystallorum conspicuarum.

Acido quodam acuta aqua ad solvendum sulphatet calcis magis apta evadit. Inde est, quod in officinis pro extra-hendo alumine vel vitriolo, ubi calcem immixtam habent mineralia, abundantiores majoresque ex lixiviis obtineantur crystalli seleniticæ, quam quæ ex aliis aquis possunt acquiri *b*). Crystallos vero ex liquore acidulo concretas sulphatet saturatum exhibere observavit BAUMÉ, qui in illis abundare non posse acidum monet *c*).

A nonnullis acidis destruitur ipsa compages sulphatis calcis. Oxalicum namque solutionem ejus ab aqua factam mox deturbat, & oxalatem calcis dejicit. Acidum phosphoricum, tartaricum ceteraque, quæ ad acidula cum calce formanda prona sunt, partem calcis e societate acidi sulphurici sibi吸引unt. Ipsum acidum sulphuricum concentratum, propter aviditatem aquæ, crystallos gypreas dirimere & pelluciditate privare valet.

Vi simplicis attractionis electivæ per barytam & strontianam disjunguntur partes sulphatis calcis. Idem per potassam atque sodam effici urgent plurimi. Dependet tamen successus a rebus circumstantibus. Observavit namque GRÉN

B

solu-

b) ROMÉ DE L'ISLE crystallographie T. I. p. 323.

c) Erl. Exp. Ch. Vol. I. p. 391.

solutions sulphatum & sodæ & potasæ cum sufficiente calcis quantitate coctas sulphatem calcis crystallinum protulisse, manente alcali libero puro in aqua soluto *d*). RICHTER similiter ex tribus calcis ustæ & duabus sulphatis potasæ partibus cum larga aqua coctis obtinuit sulphatem calcis separatum & potasam nudam solutam *e*). Quod si vero minor adsit aquæ copia, integræ secerni videntur crystalli sulphatis potasæ.

Vi duplicis attractionis per phosphates, fluates, borates & carbonates alcalinos, & generatim per omnes sales, quorum acida calci nupta insolubilia evadunt, simul ac bases eorum cum acido sulphurico junctæ facile ab aqua solvuntur, distrahi solent partes sulphatis calcis. Idem efficiunt sales, quorum acida cum calce producunt sales facile solubiles, dum bases acido sulphurico sociatae solvi vix queunt. Et ex hac quidem causa explicare licebit phænomenon a GRÉN observatum, quod in frigido loco egregie succedit divisio partium sulphatis calcis per muriatem sodæ, muriatem magnesiacæ aut carbonatæ magnesiacæ, qui in calidiore temperatura prorsus non disjungere valent sulphatis nostri elementa *f*).

§. 6.

Ab alcoholè non modo non solvitur sulphas calcis, sed accedente illo etiam a solutione aquosa secernitur: etenim secun-

d) CRELL n. Enth. in d. Chemie VIII. Th. p. 112.

e) n. Gegenstnd. d. Chymie I Th. p. 78.

f) Annales de Chimie T. XIII. p. 68.

secundum observationem KIRVANI aqua, cujus 1000 partes unam gypsi partem solutam habent, protinus nebulosa evadit, quamprimum ipsi additur alcohol *g*)

Quod, monente BAUMÉ, cum sulphure mixtum in igne facile liquefacit gypsum & in masam nigrā, spongiosam convertatur, *b*), peculiarem inter haecce corpora attractionem indicare videtur, quia simile phænomenon ex producō sulphite potasæ non oriretur. Gypsum inter medios carbones subefactum deindeque refrigeratum facultatem acquirere radios luminis attrahendi atque postea in tenebris lucidi observaverunt BECCARIA *i*), DU FAY *k*), MARGGRAF *l*) aliique, quibus sic patefactum esse videbatur, quod in omni gypso lateat acidum sulphuricum calcis adunatum *m*). Satis enim constitit sulphatis calcarei pulvrem cum pulvere carbonum calefactum in sulphuretum calcis facile inflammandum converti. Quod vero ex sulphure producō veniat illa lucendi facultas, confirmare videntur recentiora experimenta CANTONI, qui egregium obtinuit phosphorum ex pulvere testarum ostrearum cum sulphure una ignito *n*). Negare tamen non convenit, quin ad hanc virtutem etiam natura ipsius calcis con-

B 2.

ferat,

g) Zerlegung der Mineral-Wässer. p. 98.

h) Erl. Exp. Ch. Vol. I. p. 393.

i) Comment. Bononi. Th. II. p. 148.

k) Mem de l' Acad. d. Paris 1730.

l) Mem. de l' Acad. de Berlin 1750. Chym. Schrift II, T. p. 135. sqq.

m) SPIELMANN instit. Chem. p. 160.

n) CRELL Ch. Journ. VI. Th. p. 179.

ferat, siquidem in aliis quoque salibus calcem foventibus, alia atque alia ratione phænomena phosphorica produci queant.

Via humida quoque nasci interdum videtur sulphur ex sulphate calcis per conjunctas hydrogenii atque carbonii vires mutato; competum enim est, aquam hoc sale oneratam in vasis ligneis diu servatam, vel aliter corporibus organicis contiguam, odorem foetidum hydrogenii sulphurati contrahere.

Ex analysi cum sulphate calcis instituta conclusit BERGMAN 100 ejus partes continere 46 p. acidi, 32 p. calcis & 22 p. aquæ o). KIRWAN observavit proportionem partium differe gypsum naturale ab artificiali, adeo ut in illo adesent 32 — 34 p. acidi, 32 — 34 p. calcis & 26 — 32 p. aquæ, in hoc autem 29 p. acidi, 32 p. calcis, & 39 p. aquæ, atque in eodem per caloricum siccato 39 p. acidi 42 p. calcis, & 19 p. aquæ p). WENZEL contendit proportionem acidi sulphurici ad calcem esse ut 143 ad 97 q), & RICHTER ut 1000 ad 793 r).

o) Opusc. Vol. I. p. 135.

p) Anzieh. Kræfte I Th. I St. p. 66.

q) Verwandsch. d. Körper p. 68.

r) n. Gegenst. d. Chymie VIII. Th. p. 22.

